

tur. Si non sint; ad quid ergo Concilia con-  
guntur?

Resp. Concilia simpliciter necessaria non  
esse: cum Ecclesia florere possit, & ultra tre-  
centos annos in forma vere inter innumeras  
hæreses & persecutiones flourerit, licet Con-  
cilia non fuerint indicta; esse tamen Concilia  
subinde valde utilia, aut quia plurium consilio

res prudentius agi creditur; aut quia ex om-  
nium Nationum conventu certior status Ec-  
clesiastici habetur experientia; aut quia mi-  
nus est suspectum iudicium, quod totius fere  
Christiani orbis consensu perficitur. Vide  
Sfondratum *cit. loc. §. 21. num. 10.* qui alias  
quoque objectiones in §. 19. & 20. discu-  
tit.

## §. III.

## Sine Jurisdictione Pontificia supra Reges &amp; Principes?

101 **I**n hac questione, quæ tertio loco proponi-  
tur, non agimus de causis temporalibus &  
profanis, in quibus Regibus & Principibus  
absolutam & ordinariam; Pontifici verò li-  
mitatam & extraordinariam solum potesta-  
tem in *scilicet*, 3. à n. 148. concedimus: sed de  
causis spiritualibus, fidei, Sacramenta, do-  
ctrinam, mores, conscientiam &c. tangenti-  
bus, controversiam suscipimus, & conclu-  
dimus cum Ecclesia Catholica: Jurisdictionem  
Pontificiam supra Reges & Principes sese ex-  
ferere.

102 **R**ationes sunt I. Qui Ecclesie Catholice  
membrum est, ille etiam subditus est Capiti,  
Summo Pontifici. Sed Ecclesie Catholice  
membra sunt utique Reges & Principes Chri-  
stiani, speciali jure ad illius defensionem ad-  
scripti. Ergo subditi sunt Capiti, Summo  
Pontifici.

103 **I**I. Qui sunt de ovili Christi, Pastorem  
unum agnoscunt, audiunt, reverentur ex  
*num. 68.* Principes autem Christiani sunt de  
ovili Christi, tanquam pretiosos Christi san-  
guine ex faucibus infernalibus erepti. Ergo  
Pastorem unum, qui est Summus Pontifex,  
agnoscunt, audiunt, reverentur. Pulchre ad  
rem Bonifacium VIII. in *Extravag. unam san-  
ctam de M. & O. inter commun.* Ecclesia, in-  
quit, unius & unica, unum corpus, unum caput,  
non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet  
& Christi Vicarius Petrus, Petrique successor, di-  
cente Domino ipsi Petro: *palce oves meas; &*  
*generaliter non singulariter has vel illas, per quod*  
*commississe sibi intelligitur universas. Sive ergo*  
*Græci, sive alii se dicant, Petro ejusque successoribus*  
*non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus*  
*Christi non esse, dicente Domino in Joanne: unum*  
*ovile, & unicum esse pastorem. Eadem fere*  
*ratione discurrit D. Bernard. lib. 2. de conside-  
rat. ad Eugen. cap. 9. ubi expendens verba*  
*Evangelii, palce oves meas, subiungit: quas? vel*  
*illius populus civitatis aut regionis, aut certi regni?*  
*Oves meas, inquit: cui non plenum, non designasse*  
*aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi*  
*designatur nihil.*

104 **I**II. Concilium subest Pontifici. Ergo &  
Reges subditi: hi enim Conciliorum decreta  
recipere, canones amplecti, definitiones ac-  
ceptare & volunt, & debent. Indèque in  
Concilio Romano annò 324. præsens Con-  
stantinus M. agnovit: Romanum Pontificem,  
omnium mortalium Judicem, à nemine judicari  
posse, neque à Clero, neque à Regibus, neque à populo.

Inde in Concilio Constantinopolitano annò  
680. Constantinus Pagenatus in *epist. ad Aga-  
thonem Papam*, scribit eidem: *Santissimo &*  
*Beatissimo Archi-Episcopo antiquæ nostræ Romæ &*  
*universali Papæ. Inde in Concil. Nicæno PP.*  
*definiunt: ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est,*  
*& Princeps omnium Patriarcharum: quandoqui-*  
*dem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est pote-*  
*stas in omnes Principes Christianos & omnes populos*  
*eorum &c.* Legatur etiam textus in I. *agnos-*  
*scere 7. Cod. de Summa Trin.* ubi Justinianus Im-  
perator tam in *princ.* quam *§. sequens.* suam  
Apostolicæ Sedi reverentiam & obedientiam  
apertè contestatur.

IV. In Veteri testamento unus erat Sacro-  
rum & Religionis Præfex, quem ipsimet Reges  
susceperunt. Nam Rex Joas, Pontificem Joa-  
dam reveritus ut parentem, sine consilio &  
præscripto illius agebat nihil 4. *Reg. 12.* Quin  
& Seleucus, Asia Rex, & Gentium, Oniam  
Pontificem ita coluit, ut in gratiam illius ma-  
gnis muneribus templum Jerosolymitanum  
cumulaverit 2. *Machabæ. 3.* Neque in Deu-  
teron. *cap. 17. §. 12.* statutum erat; *ut, qui su-*  
*perbierit, nolens obedire Sacerdotis (Summi vide-*  
*licet) imperio, morie moriatur.* Cur ergo Pon-  
tificem Maximum in novo testamento non  
susceptum Reges & Principes, cum ipsius Chri-  
sti in terris vice fungatur? D. ab Andlern *Ju-*  
*risprud. publ. lib. 1. tit. 5. part. 1. n. 10.*

V. Vel errare possunt Principes terræ in  
causis fidei & spiritualibus, vel non? Si prius;  
fatearis oportet, Judice & iudicio illos indigere,  
& quidem uno, hoc est, Pontifici Maxi-  
mo, ne ex pluralitate iudicium scindatur.  
Ecclesie & fidei unitas, diversis diversis sen-  
tentias proferentibus. Si posterius; affirmas  
aliquid incredibile; cum enim Principibus,  
in tanto falligio constitutis, nec potestas de-  
sit, nec cupiditas pro arbitrio imperandi; &  
nemo sit, qui potentiam aut cupiditatem  
Principum aut metu aut imperio moretur;  
illique, qui latus Principis stipant, ad benevo-  
lentiam captandam auram plenis buccis omnia,  
quæ agunt Principes, comprobare nitantur:  
sanè credulitatem superat, errandi pe-  
riculo Principes non subjacere, quippe qui-  
bus infallibilis Spiritus S. assistentia nunquam  
& nupiam promissa legitur.

Quæ assertioni huic opponunt Sectarii,  
præsertim Conradus Einsfeld de *Regal. cap. 1.*  
à n. 35. multa sunt, in compendio hic refe-  
renda. Dicunt I. esse contra Politicæ princi-  
pia,

105 **P**ia, ut Principes, qui singulis imperare de-  
bent, vel uni subdiciantur. II. Scripturam  
jubere ad Romanos 13. *ut omnis anima ( &*  
*consequenter etiam Pontifex Romanus ) sub-*  
*limioribus potestatibus subiecta sit.* III. Chri-  
stum Math. 27. iussisse, pro se & Petro Cæ-  
sari tributum (quod est signum subiectionis)  
solvi. IV. Pontifices ab Imperatoribus esse  
constitutos, & destitutos, dum Constantinus  
Liberii, Justinianus Sylvium, Otto I. Joan-  
nem XII. Henricus III. Gregorium VI. pro-  
ferbere, expellere, deponere; ac Otto Jo-  
anni Leonem VIII. Henricus Gregorio Cle-  
mentem II. sufficere, conati sunt. V. à Pon-  
tificum sententia ad Imperatorem & Reges  
appellari posse.

108 **V**erum, ut ut multa proferant Adversarii  
nostri, attamen non multum proficiunt. Nam  
quod I. in Politicæ principia nos impingere,  
clamitent, ostendunt, se meliores Politicos,  
quam Christianos esse: si nempe Politia non  
ex scitis Evangelii, sed Gentium placitis men-  
furetur. Evangelium enim docet, Ecclesiam  
esse unam, & unum ovile; Caput esse unum,  
& unum Pastorem: adeoque si Christiani  
Principes velint in Ecclesia & ovili manere,  
Caput & Pastorem unum, D. Petrum & ejus  
in Pontificatu successores, quoad ea, quæ salu-  
tatem animæ spectant, venerari debent.

109 **Q**uod II. ex Scriptura dicant: animam  
omnem sublimioribus potestatibus esse sub-  
ditam, vel accipiant hanc propositionem in  
sensu absoluto, vel in sensu accommodato? Si  
in sensu absoluto; ipsos quoque Principes  
comprehendere, ac sublimiori potestati sub-  
jicere debent. Si in sensu accommodato; ex-  
cipiunt Summos Principes; & quia textus  
generalis est, æque Summum Ecclesie Mo-  
narcham, quam Reges sæculi. Cæterum  
præclaram expositionem *cit. textus* perspicere  
relacet in *cap. sollicit. 6. de M. & O.*

110 **Q**uod III. textum ex Matthæo de solven-  
do tributo attingant, aut se ipsos jugulant;  
aut, quod integrum textum non citent, in-  
humanos ostendunt. Nam Christus ibi-  
dem ex Petro sciscitatus erat: *quid tibi videatur*  
*Simon? Reges terra à quibus accipiunt tributum,*  
*vel censum, à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit,*  
*ab alienis. Dixit illi Jesus: ergo liberi sunt filii.*  
*Ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me*  
*& te &c.* Mala ergo consequentia: Christus  
& Petrus à tributo erant liberi: ergo sub-  
jiciebantur Cæsari. Hæc autem bona est:  
Christus & Petrus non tenentur solvere, quia  
liberi sunt: ergo subiecti non sunt. Sfondra-  
ti in *Gallia Vindic. dissert. 2. §. 3. n. 3.*

111 **Q**uod IV. ex constitutione & destitute  
Pontificum argumentum fabricent, quoad  
prius assertum reselluntur ex *tract. nostro de*

*Mod. Acquir. Prælat. cap. 1. scilicet 6. num. 614. &*  
*plur. segg.* Quoad alterum assertum reponit  
primò Sfondrati in *Regali Sacerd. lib. 2. §. 20.*  
Constantium Imperatorem Arianum eò jure  
Liberium in exilium relegasse, quò Nero Mar-  
tyres est persecutus. Reponit secundò: Syl-  
verium ad instantiam Theodoræ Augustæ,  
quod Anthymum hæresis Eutyriana dam-  
natum restituere nollet, in exilium actum, eà  
causâ prætextâ, quòd contra Imperatorem  
Justinianum cum Gortis colluderet; fictisque  
eam in rem literis, quæ colorem adde-  
rent calumniæ. Reponit tertio: dubium esse,  
an Joannes XII. fuerit legitimus Papa? cum  
eum metu & largitionibus intrusum potius  
toleraverit, quam elegerit Ecclesia: ideòque  
ex principio dubio non erui medium idoneum  
veritatis demonstrandæ: interim Leonem,  
Joanni surrogatum, non agnatum ab Ecclesia,  
sed post obitum Joannis à Clero & Cardinali-  
bus Benedictum V. fuisse renuntiatum. Re-  
ponit quartò: Gregorium VI. cum videret  
ex una parte armatum contra se Henricum  
Regem, eumque implacabilem; ex altera ve-  
rò parte imminens Ecclesie schisma, spontè  
Papatu abisse. Clementem verò II. omnium  
Romanorum consensu Gregorio suffectum  
esse, narrat idem Author in *prælud. ad Reg. Sa-*  
*cerd. §. 1. pag. 98.*

112 **Q**uod demum V. à Pontifice possit appel-  
lari ad Reges, id quidem afferere conatus est  
Maymburgus, scriptor Gallicus, eò prætextu,  
quasi ad Regem, velut ad Canonum Protecto-  
rem, spectet, providere, ne quid attentetur  
illis contrarium; inò & Bullas, sententias,  
legesque Ecclesiasticas ad examen, iudicium-  
que suum revocare, arbitrarique, an aliud  
Canonibus ac Gallia liberatibus adversum  
complectantur. Sed à Sfondrato in *Gallia*  
*Vindic. diff. 3. §. 2.* tam solidis argumentis re-  
fellit, ut præfractæ & indurata cervicis sit,  
quisquis cum Maymburgo sentiens ad sinceræ  
veritatis agnitionem non moveatur. De-113

mus enim (loquor cum eod. Purpurato *d. l.*  
*num. 3.*) injustas esse Pontificum sententias:  
num ideo, quia injustæ sunt, debent majori in-  
justitiâ propulsari? Quæ verò major injusti-  
tia, quam privatam injuriam publicò Ecclesie  
dedecore ac damno vindicare, eamque non  
alieno tantum tribunal, sed etiam minori  
subjicere? Si ergo Reges suâ potestate abuti  
contingat: an ideo privatis civibus à Regia  
sententia obtentu abusus ad Parlamentum  
appellare licebit? Et, si quis id audeat, non  
in illum tanquam lætæ Majestatis reum vindi-  
cabunt? Si ergo nullò abusus prætextu ap-  
pellari à Rege ad Parlamentum licet, quantò  
minus licebit à Pontifice ad Regem? Recole  
dicta à n. 86.

## §. IV.

## Sine Jurisdictione Pontificia in infideles &amp; hæreticos?

114 **C**ertum in præfenti questione, quæ quar-  
tum obtinet locum, est I. in infideles

non-baptizatos Pontifici non constare Juris-  
dictionem directam & ordinariam. Molina-  
T t t 3 de

de F. & F. n. 2. diff. 29. num. 14. Patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. de penitent. dicente: Ecclesia in nevinem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismum fuerit ingressus: quid enim mihi, inquit Apostolus, de his, qui foris sunt, iudicare? Atque ex hoc principio in tract. de Jure Leg. cap. 5. n. 124. decum est: infideles Legibus Ecclesie non ligari.

115 Certum est II. in hereticos Pontifici Jurisdictionem directam & ordinariam competere. Patet ex tot. tit. Juris Canonici X. & in 6. de Hereticis, ubi varias penas circa hereticos SS. Pontifices prescripserunt: sine dubio ideò, quia heretici per baptismum intrant in Ecclesiam, & illius Jurisdictioni se se submitunt. Unde in cit. loc. n. 122. conclusimus, hereticos constitutionibus Ecclesie non secus ac Catholicos ligari.

116 Dubitari autem potest I. de infidelibus: an non Pontifex ad fidem Catholicam suscipiendam eos compellere possit?

Resp. I. infideles per leloquendò & directè ad fidem compelli non posse. Ita post plurimos citatos respondent Covarruv. in relect. cap. peccatum p. 2. §. 10. n. 2. P. Engel ad tit. de Judais n. 10. Gonzalez ad cap. Judais eod. tit. n. 5. & seqq. P. Mezger cit. rr. diff. 29. a. 1. §. 3. n. 19. Ratio est: quia omnis compulsio supponit jus Jurisdictionis, quod Ecclesie in num. 114. quoad infideles negatum est.

117 Suffragantur etiam textus Canonici in cap. de Judais §. Diff. 25. cap. multi 18. Il. q. 1. cap. sicut 9. de Judais in quibus locis dicitur, infideles ad fidem invitos non esse cogendos: quia, ut D. Athanasius in Epist. ad solitar. loquitur, pia Religionis proprium est, non cogere, sed suadere; & ut D. Ambros. in Epist. 2. ad Carinth. cap. 1. notat, fides non necessitate sed voluntatis res est; & ut D. Bernardus serm. 66. in Cant. advertit, fides suadenda est, non imperanda.

118 Equidem in cap. 14. Luca dicitur: exiit via & sepes, & compelle intrare. Sed hoc accipiendum est de compulsione exhortatoria, non vindictiva, aut Jurisdictionali, quòd nempe prædicatione & propositione Verbi Divini infideles ad fidem trahendi potius,

quam urgendi sint, juxta D. Augustinum de concord. Evangel. Vel, si hæc responsio duplicet, dici potest, textum Lucae de hereticis loqui, qui Ecclesiam per baptismum ingressi, separant se ab ejus unitate, non tantum opportune, sed etiam importune, ut regrediantur, compelli possunt.

Resp. II. infideles, si prædicationi aut dilatationi Evangelii resistant, à Pontifice & Principibus Christianis coerceri posse. Authores supra nominati. Ratio est: quia Ecclesia potestatem accepit, ubique Gentium prædicandi, & dilarandi Evangelium. Ergo etiam accepit potestatem, eos, qui resistunt, Evangelio, coercendi: quia, concessò sine, conceduntur etiam media. Ergo, si Gentiles, Pagani, vel Judæi obicem ponant, quò minus explicari possit Verbum DEI, velut injusti turbatores Jurisdictionis Ecclesiasticæ, vel ab Ecclesia, vel à Christianis Principibus, ceu Advocatis & Defensoribus Ecclesie, bellò aliòve modò coerceri possunt, prout per Imperatores & Reges Catholicos jam sæpius est factum.

Dubitari potest II. an S. Pontifex in Lutheranos & Calvinistas in Imperio Romano Jurisdictionem aliquam exercere possit? Ratio dubitandi est: quia contra Jurisdictionem stat pacificatio Religiosa & Monasteriensis, vigore cujus Jurisdictioni Ecclesiastica in terris Protestantium suspensa est: pro Jurisdictione econtrà militat, quòd Sedes Apostolica suo assensu non tantum non firmaverit hanc Pacem, sed etiam verbis & scriptis infirmaverit, ut constat ex Bulla Innocentii X. quæ incipit: Zelò domus DEI, edita 20. Novemb. 1648.

Resp. Jurisdictionem utique competere Pontifici, utpote quam abdicare à se nec potest, nec voluit, Jure Divinò reclamante. Et licet Pax Religiosa impedimento sit, quò minus Jurisdictione tam liberè, sicut antea factum, utatur: attamen utitur, quantum potest, ut constat ex Bulla Cæsar. casu 1. Sc. si non uteretur, nihilominus non amitteret: quia per non- usum Jurisdictionem Divinitus concessam tolli non posse, in comperto est. Sed de hoc alibi.

SECTIO III.

De Objecto Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ.

SUMMARI A.

122. Objectum Jurisdictionis Ecclesiasticæ sunt primo causa fidei. 123. Deducitur hujus asserti veritas ex SS. Literis. 124. Ex SS. Canonib. 125. Ex Conciliis. 126. Ex SS. PP. 127. Ex perpetuo usu Ecclesie. 128. Ex multiplici ratione. 130. Secundo ad objectum Jurisdictionis Ecclesiasticæ pertinent causa spiritalis. 131. Probatur. 132. In specie canonizatio SS. 133. Approbatio Ordinum. 134. Sacramentorum administratio. 135. Potestas fori interni. 136. Cause Matrimoniales. 137. Ecclesiarum ordinatio. 138. Rota & per-

sona Ecclesiastica. 139. Leges Ecclesiasticæ. 140. Materia Verorum &c. 141. S. Pontifex non habet Jurisdictionem temporalem directam. 142. Probatur variis textibus. 143. & seqq. Probatur variis rationibus. 146. & seqq. Referuntur Auctores, qui Pontifici Jurisdictionem directam asserunt, & abnegant. 150. & seqq. Suggestur discrimen inter Jurisdictionem directam & indirectam. 152. & seqq. Varii textus & exempla S. Scriptura ad probandum Jurisdictionem indirectam. 157. & seqq. Mult-

ri textus ex Jure Can. cum refutatione responsionis adversa. 161. & seqq. Duo Concilia Generalia, Lateranense & Lugdunense. 168. & SS. Patrum testimonia. 171. & seqq. Ratio non pauca. 176. & seqq. Enumeratur pri-

imum argumentum contrarium cum additis insinuationibus. 184. & seqq. Alterum argumentum cum suis appendiciis dissolvitur. 197. & seqq. Tertium argumentum cum sua confirmatione dissolvitur. 206. & seqq. Reliqua argumenta diluantur.

§. I.

Quanta & qualis sit potestas S. Pontificis circa dogmata fidei Catholicæ?

122 Objectum Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ, quam in anteced. sect. soli Romano Pontifici asserimus dedimus, sunt causæ, circa quas verlatur. Et quidem haud dubiè Jurisdictioni principaliter veriatur circa fidei dogmata, quæ, si dubia videantur, decidere, ac toti Ecclesie extra & intra Concilium credenda proponere, spectat ad Summum Pontificem.

123 Deducitur hæc Catholicorum assertio I. ex SS. Literis, tum Veteris, tum Novæ Legis. Et enim in Deuter. 17. Sacerdotum Principus erat, causis circa Legem dubias discutendi; & populo verò obligato incumbere, discussionem Sacerdotalem absque ulteriori provocatione exequendi. In Evangelio Matthæi 16. Petrus fundamentum Ecclesie constitutus est, tanta cum fidei firmitate, ut portæ inferi prævalere non possint adversus eam: si que non aliunde, quam à Petro & successoribus fidei nostræ certa dogmata petenda sunt. In Evangelio Lucae 22. refertur Christus dixisse Petro: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: adeòque fides Petri non tantum indefectibilis est quoad personam Petri, sed etiam quoad Ecclesiam, cui fidei fundamenta Petrus per se & successores largitur. Hæcque est ratio, cur à Paulo Apostolo Ecclesia dicatur columna & firmamentum veritatis 1. Timoth. 2.

Deducitur II. ex SS. Canonibus, in quibus Sacri Legislatores unò calamo & ore testantur, in ambiguis fidei rebus ad Sedem Apostolicam recurrendum; quòdve Summus illius Sedis Antistes definitur, pro indubitata fidei regulatendam esse. Ita textus in cap. non decet 1. cap. præceptis 2. Diff. 12. cap. si Romanorum 1. cap. sic omnes 2. cap. 3. 4. 5. 6. 7. Diff. 19. cap. de libellis 1. cap. si decreta 2. Diff. 20. cap. omnes 1. Diff. 22. cap. memor sum 10. cap. quoribus 12. cap. hæc est 14. cap. quoniam. 25. cap. quicumque 27. cap. schisma 33. XXIV. q. 1. cap. majores 3. de Baptismo.

Deducitur III. ex Conciliis universalibus, quorum decisiones frequentissimas ad propositum refert, & illustrat Cardinal. Sfondrati lib. 3. §. 4. Unicam Generalis Concilii Romæ sub Nicolao II. annò 1059. celebrati, definitionem, in cap. si quis 18. XXV. q. 2. conten-

tam, attigisse suffecerit: si quis (ait S. Synodus) dogmata vel decreta pro Catholica fide, aut Ecclesiastica disciplina, à Sedis Apostolica Presule promulgata, contempserit, anathema sit.

Deducitur IV. ex uniformi SS. PP. doctrina, latè expensè & exposita à citat. Card. d. lib. 3. §. 5. & Reding d. art. 4. disquisit. 5. An. 68. Inter quos D. Ambrosius episc. 1. ad Agruchiam: in omnibus, ait, Romana Ecclesia formam & typum sequimur. D. Augustinus episc. 157. in verbis, inquit, Apostolica Sedes tam antiqua atque fundata, ceria & clara est Catholica fides, ut nefas sit, de illa dubitare, Christiano. D. Anselmus de Incarnatione Verbi cap. 1. Divina. Scribit ad Papam, Clementia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret. Ad nullum itaque relictis referretur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus autoritate corrigatur, nec ulli alii tentius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur.

Deducitur V. ex perpetuo Ecclesie usu, quò credentes vel asserentes aliquid contra definitionem Sedis Apostolicæ pro hereticis habiti, iudicati, atque à S. Pontifice extra & intra Concilium damnati sunt. Probat hæc deductionem Sfondrati d. lib. 3. §. 6. ac in n. 5. de hæresi Valentini, Cerdonis, Marcionis, Montani, Theodoli, Pelagiani &c. ex probatissimis Authoribus ostendit. eam cum Capitibus suis à solo Pontifice profertam fuisse.

Deducitur IV. ex ratione: quia res fidei non tantum sublimes sunt, atque ab oculis nostris, stellarum instar, procul remotæ: sed etiam obscuræ sunt, vel subamine, involucro, & enigmate propolite: ideoque si ambiguitas in fidei articulis emergat, Supremum Ecclesie Judicem agnoscere, eique potestatem genuinum Scripture sensum interpretandi; ac ambiguis fidei articulis decernendi, tribuere debemus: alioquin vel Ecclesie dissolveretur unitas, vel fidei nostræ nulla erit finis.

Neque ad Concilia tutò confugeret licet: hæc enim & difficulter congregantur; & congregata nescio quot exceptiones patiuntur; & illorum decisiones ante ultimam Papæ srobationem viribus & efficaciam vacuæ. Sfondrati d. lib. 3. §. 7. Redding d. art. 4. disquisit. 2. §. 1. num. 10.



num. 5. & Bonifacius VIII. in Extravag. un. de M. & O. inter commun. Sfondrati d. l. n. 8.  
 156 Apollolus, ad Corinthios scribens, epist. 2. cap. 6. graviter in ipsos invehitur: audeat aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Etsi in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicatis? Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus: quanto magis secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. An non Apollolus in hoc loco luculenter agnovit in Ecclesia potestatem circa temporalia, quæ propter spiritualia sunt condita?  
 157 Probatur II. ex Jure Canonico per textus insolubiles in cap. venerabilem 34. de Eld. cap. novis 13. de Judic. cap. licet 6. de Foro & Voti redempt. cap. per venerabilem 13. Qui filii sint legit. cap. grandi 2. de supplicia neglig. Prælat. in 6. cap. ad Apollolus 2. de Sent. & re judic. in 6. Extravag. si Fratrum un. Joannis XXII. Ne Sede Vac. Extravag. unam sanctam de Major. & Obed. & Extravag. incruit. 2. de Privileg. inter commun. Quos omnes textus, præmissa historiae face, ad scopum nostrum eruditissime dilucidat Cardinal. Sfondrati in Regali Sacra. d. lib. 1. à §. 3. usque ad §. 13. ac reflexionibus & argumentis Theologicis quam solidissime roborat Reding Cathedralis Apollol. art. 1. à n. 40.  
 158 Nec licebit, cum Barclaii fœderatis opponere, textus memoratos ex domo propria fuisse petitos: nam S. Pontifex, seu legitimus Divini Juris Interpres, utique potestatem, Divinitus sibi concessam, in tota, quæ patet, latitudine potest explicare; nec alteri, qui genuinum S. Pontificis & S. Matris Ecclesie filium se proficitur, interpretationem Pontificiam aspernari, vel sub censuram vocare concessum erit. Sanè quod Innocentius III. in cit. cap. novis 13. de Judic. asseruit, Potestatem sibi competere, de omni peccato iudicandi, non ex proprio cerebro, sed sacris paginis deceptis: siquidem apud Math. 18. v. 15. tibi traditur modus fraternæ correctionis, expressè tribuitur Ecclesie potestas, de quovis peccato sumendi iudicium, & ita quidem, ut, qui Ecclesiam non audiverit, sic sicut ethnicus & publicanus. Quæ ipsa comminatio timorem incutere debet, omnibus, qui Pontifici, velut Ecclesie Oraculo, quidpiam circa limites potestatis sue dicenti vel statuenti, benevolas subtrahunt aures, aut (quod impudentius, imò facilegium est) illius potestatem in dubium vocare, vel etiam eludere non erubescunt.  
 161 Probatur III. ex Conciliis Oecumenicis, & quibus duo duntaxat principaliter attingo, Lateranense nimirum, quod sub Innocentio III. Anno 1215. congregatum, refertur in cap. excommunicamus 13. de Hæret. & Lugdunense, quod anno 1245. sub Innocentio IV. celebratum, recensetur in cap. ad Apollolica 2. de Sent. & re judic. in 6. In illo adversus hæreticos in hæc verba statuitur: excommu-

nicamus, & anathematizamus omnem hæresim, exsolentem se adversus hæc sanctam Orthodoxam Catholicam fidem, quam superius exposuimus &c. Et infra: si vero Dominus temporalis, admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum & Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam &c. In 163 isto sequenti modo statuitur: Nos itaque super præmissis, & quàmpluribus aliis ejus (Friderici II. Imperatoris) mensuris excommunicamus, cum Fratrum nostris, & sancto Concilio, deliberatione præhabita diligenti, cum Jesu Christi vicis, licet immemorigentiamus in terris, nobisque in B. Petri p. sua dilectum sit: quodcumque ligaveris super terram, ligatum erit & in Cælis, memoratum Principem, qui se Imperio, & Regni, omnique honore & dignitate reddidit indignum, quique propter suas iniquitates à DEO, ne regnet, vel imperet, est abjectus, suis ligatus peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum à Domino offendimus, & denuntiamus, & nihilominus sententiam d. privamus, omnes, qui ei fidelitatis juramentum contulerunt ad fratri, à juramento hujusmodi perpetuo abjunctos &c. Et infra: Illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant libere successorem.  
 Quid ad ista Barclaius & ejus sectatores? 164 An Pontificem simul & Concilium de studio partium accusabunt; cum tamen utrumque fuerit eumenicum, ac priori, præter ingenitum numerum Episcoporum & Archi-Episcoporum, Legati Imperatorum Occidentis & Orientis, nec non Regum Hierosolymæ, Francie, Hispanie, Angliæ & Cypri adjuerint; in posteriori verò, præter numerum Archi- & Episcoporum æquè notabilem, Balduinus Imperator Orientis cum multis alii Principibus, & Sanctus Ludovicus, Francorum Rex, presentes extiterint, nec ullus ex his contradixerit?  
 An omnino procaciter assererunt, Pontificem unà cum generali Concilio limites sue potestatis excessisse, ac in re tam momentosa, Ecclesiam & Imperium contemnerent, errasse; sicque validè credendum esse Doctori cuidam politico, quam Ecclesie universalis, per Concilium representatæ? Absit, 165 ab homine Catholico tam inaudita protervia! Quod enim S. Pontifex, approbante Concilio, legitime congregato, definit & statuit, illud citra hæresicos notam improbari, vel erroris redargui non potest. Neque ad alium, quam Pontificem & Concilium, spectare potest decisio questionis Pontificiæ, utpote quam colligere debemus ex sacro Codice, de cujus genuino sensu iudicare, non est alterius potestatis, quam Ecclesiasticæ. Videatur Card. Bellarminus in tract. de Pot. Papa in præliminariis. pag. m. 36. & seqq. & Sfondrati d. lib. 1. §. 12. ubi Concilii Constantiensis auctoritatem adducit.  
 Probatur IV. è SS. PP. testimoniis, quorum 168 plurima

plurima referunt idem Bellarmin. d. l. pag. mihi n. 11 & seqq. Sfondrati d. l. §. 15. & 16. Reding d. l. à n. 45. Sed tria præcipue huc transferuntur. Primum est S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici, qui in 2. 2. q. 10. art. 10. considerandum est, inquit, quod dominium vel Prælatio introducta sunt ex Jure humano: distinctio autem fidelium & infidelium est ex Jure Divino: Jus autem Divinum, quod est ex gratia, non tollit Jus humanum, quod est ex naturali ratione: idè distinctio fidelium & infidelium, secundum se considerata, non tollit dominium, & Prælationem infidelium supra fideles. Potest tamen jus, sit per sententiam vel Ordinationem Ecclesiasticam, auctoritatem DEI habentis, tale jus dominium vel Prælationis tolli: quia infideles merito sue infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios DEI; sed hoc quidem Ecclesia, quandoque facit, quandoque non facit.  
 169 Alterum est Sancti Bonaventuræ, Doctoris Seraphici, quæ in lib. de Ecclesiasticis Hierarch. p. 2. cap. 1. sic scribit: jam verò possunt Sacerdotes & Pontifices ex causa amovere Reges & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit, & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigat, & Republicæ necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex, pene quem in terris primus residet auctoritas, non à Rege, non à Principe Sæculari, non ab homine judicator, sed solius DEI judicio conservatur. Tertium est Sancti Bernardi, Doctoris Mellisii in lib. 1. de considerat. cap. 6. ubi alloquens Eugenium Papam, quid in dono ait, usurpare gladium tentas, quem semel iussu tenere in vaginam: Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, inò forsitan nuda, est non tuam manu, evaginandum; alioquin si nullò modo ad te pertineret, dicentibus Apollolis: ecce gladius duo hic; non respondisset Dominus: satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesia, & spiritus sanctus gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab

Ecclesia exercendus est. Ille Sacerdotis; is militis manu, sed sicut ad usum Sacerdotis, & iussu Imperatoris.  
 Probarur V. ex fortissimis rationibus: 171 partim, quia officium Pastoris, quod ex Divina commissione gerit Pontifex, non tantum exigit potestatem pacendi oves, sed etiam abigendi hircos, lupos, & prædones, si gregem Christi invadere tentent, nec aliis remediis averti queant: partim, quia defensionem Religionis Catholicæ, quæ principaliter est commissa Papæ, nequit fieri, nisi jus habeat, eos, qui Ecclesiam perversis moribus, ritibus, & doctrinis infestant, etiam temporalibus supplicis percellendi: partim, quia Re-172 gis Potestas, cum sit à DEO data propter temporalia, hæcque sint ordinata ad spiritualia, subest tanquam medium Potestati Ecclesiasticæ ad finem spiritualem consequendum; ad quæ, si è abutatur Princeps, nec curet, quandoque turbet spiritualia, Pontificiæ censuræ subiacet: partim, quia, si Princeps aliquis in 174 hæresin labatur, Leges pestiferas ferat, populum ad maligna consilia simulet, pertinet ad S. Pontificem, tanquam Zolotem & Curatorem animarum, Principem hæreticum, nisi velit resipiscere, degradare; Leges pestiferas reformare; populum ab obligatione fidelitatis absolvere, ne miserè perire sinat animas: partim denique, quia, ut hæctenus operosè 175 deduximus, in Pontifice est Potestas spiritualis, Ecclesiam regendi, defendendi, iudicandi: ergo etiam in ipso potestas est iudicandi de rebus & causis temporalibus, quantum profinit vel obstat Ecclesie: ergo etiam potestas defendendi Ecclesiam, ac circa temporalia ita disponendi, ne vergant in Ecclesie detrimentum: est siquidem immotum apud Juristas principium, concessa alicui Jurisdictione, ea omnia ceteri concessa, sine quibus Jurisdictio exerci, aut exerceri nequit cap. præterea 5. de Off. deleg. l. cui Jurisdictio 2. ff. de Jurisdict. Ampliores rationes subjicit Bellarm. cit. tr. à cap. 13. Sfondrati d. l. §. 17. & Reding cit. art. 1. disquis. §. à n. 7.

§. V.

Expenduntur Argumenta contraria.

176 Diversi dogmatis primarius defensor Barclaius multa equidem argumenta conglomerasse videri potest in suo tractatu contra Pontificiam Potestatem, in 4.1. capita divisio, nisi vel eadem semper oberrasset chorda, vel crambem antiquam toties recoxisset, rationum locò seornata multoties injiciendò.  
 177 Primum ac præcipuum, quod continuo repetit, argumentum statim in cap. 2. proponit, nimirum duas illas Potestates, quibus mundus in officio continetur, Ecclesiasticam & Politicam, ita Jure Divinò distinctas & separatas esse, ut (quamvis ambe à DEO sint) utraque suis terminis conclusa, in alterius fines invadere sub Jure nequeat, neutrique in alteram 178 Imperium sit. Ad hoc probandum inter-

alias auctoritates adduxit cap. cum ad verum 6. Dist. 96. ubi Nicolaus Pontifex ad Imperatorem Michaelæm scribit, quòd, licet olim Paganus Imperator sit & maximi Pontifices dicerentur, attamen cum ad verum ventum esset eundem Regem atque Pontificem, ultra Sibines Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit: quoniam idem mediator DEI & hominum, homo Christus JESUS, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria veluti medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in infernum demergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices, pro cursu temporalium tamammodò rerum, Imperialibus Legibus tenerentur.  
 Sed

- 179 Sed, licet ultroneè fateamur, utramque potestatem, Ecclesiasticam ac Politicam, à DEO descendere, cum hac tamen differentia, quòd illa immediate in personam S. Pontificis, hæc in communitatem translata fuerit, nihilominus falsum, argue à principis Catholicis alienum est, neutri Potestati in alteram imperium esse: nam Potestatem Politicam Ecclesiasticæ Potestati quoad spirituales finem subordinarî, non malè colligitur ex eodem cap. ubi finis Potestatis Ecclesiasticæ dicitur esse *vita æterna*, consequenter hæc in Potestatem Politicam eandem imperium exercet, quatenus impedit aut impedire potest æternæ vitæ consecutionem. Id quod apertè confirmat Gregorius in epistola ad Anastasium Imperatorem, relata in cap. duo sunt 10. cit. Diff. 96. ibi: *duo sunt, Imperator Augustus, quibus principaliter Mundus hic regitur, authoritas sacra Pontificis, & Regalis Potestas: in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsi regimini hominum in Divino sunt examine reddituri rationem.* Et paulò post: *nisi itaque, ex illorum se pendere iudicio, non illos ad tuam posse*
- 180 *irredigi voluntatem.* Quam in rem optimè subinfert Bellarminus cap. 2. pag. m. 44. si Pontifex redditurus est DEO rationem pro regimini hominum, certè dirigere debet ea regimina, & si fortè deviant, corrigere, atque in viam reducere. Quomodò autem potest dirigere, & corrigere humana regimina, si nullum in ea imperium habet?
- 182 Instat Barclaius in fine cit. cap. 2. si verum esset, quòd Potestas Politica sit Ecclesiasticæ subordinata, sequeretur necessariò, Potestas illas neque dignitatibus, neque officiis, sed tantum actibus esse discretas: nam dignitas, itemque officium, quod est in subordinato, non potest non esse in subordinante: cum ab eo in subordinatum derivetur. Inde est, ut Princeps se involutum putet, dum ejus Ministri in exequendis officiis impediuntur, & Papa se ac Sedem Apostolicam contemni, ex spreta Legati, à se missi, autoritate arbitretur.
- 183 At contra Barclaium est, quòd subordinatio reperitur, ubi non eadem dignitas vel officium est in subordinante simul & subordinato: nam Jurisdicção v. g. alicujus Episcopi subordinatur Archi-Episcopo, absque eo, quòd sit idem officium aut eadem dignitas in subordinante & subordinato. Itaque sequela Barclaii penitus est illegalis, nec potest in alia subordinatione, quam ubi moralis identitas inter personas v. g. inter Delegantem & Delegatum, Principalem aut Vicarium &c. intercedit, applicari.
- 184 Alterum argumentum à Barclaiò in cap. 3. & aliis crebrius proponitur. Absurdum & iniquum est, dicere, Principes Ethnicos duriorè & deteriore conditione ad Ecclesiam esse receptos, quam singulos quosque de multitudine: vel Papam habere majorem nunc Potestatem in Principes Politicos Christianos, quam olim D. Petrus & cæteri Apostoli in

quemlibet & privatum hominem, Ecclesiæ filium. At hi nullum jus & Potestatem temporalem habuerunt tunc temporis in Christianos Laicos. Ergo nec Papa in Principes Sæculares Potestatem ullam temporalem nunc habet. Assumptio inde probatur, quòd certò ceterius sit, Ecclesiasticam Potestatem fuisse separatam à Politicâ, & hanc totam penes Ethnicos Principes extra Ecclesiam fuisse, adeò ut ipsi Apostoli in Potestate temporali Ethnicorum fuerint: Christus enim venit, non *solvere legem, sed adimplere*; nec naturæ & gentium jura tollere, aut quemquam temporali rerum suarum dominio excludere.

Ad hoc argumentum Resp. cum Bellarm. 186 cap. 3. pag. m. 53. negandò assumptionem, & illius probationem, quòd ipsimet Apostoli in potestate temporali Ethnicorum fuerint. Si quidem Apostoli in Christianos Laicos habent amplissimam potestatem, ea omnia præcipiendi vel prohibendi, quæ necessaria vel conducentia sunt ad finem & bonum spirituale. Et idèd Apostolus Paulus 1. Corinth. 9. mandavit, ut de bonis temporalibus Ministris Ecclesiæ congrua datur sustentatio; justitiam etiam in ead. epist. cap. 6. ut in causis civilibus Judices Christianos constituant, & ad gentiles Magistratus, juris experiendi gratiâ, se invicem non provocent. Nec dubitandum, quin pœnas temporales Apostoli potuerint imponere Laicis peccantibus, in foro tã externo quam interno, dicere multas pœnas pecuniarias, aut statuere pœnam carceris, prout Ecclesiasticis Prælati hoc universim concedit Trident. Concil. sess. 25. de Ref. cap. 3.

Sed, ais, Apostolum Paulum ad Romanos 13. 188 agnovisse, quòd omnis anima Sublimioribus Potestatibus, seu Sæcularibus Principibus subdita sit; indeque judicium Cæsaris non detrectasse, sed potius ad illud in *Act. Apostolor. cap. 25.* provocasse.

Resp. Apostolum agnovisse subjectionem erga Principes Sæculares quoad omnes animas seu homines sæculares; cum in aliis locis apertè declaraverit, se Potestatem in Laicos habere, videlicet 2. ad Corinth. 10. §. 8. ibi: *nam & amplius gloriaris fuero de Potestate nostra, quam dedi vobis Dominus in adificationem & non in destructionem, non erubescam;* & cap. 13. §. 10. *hac absens scribo, ut non presens durius agam secundum Potestatem, quam Dominus dedit mihi;* & ad Hebræos 13. §. 17. *obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Judicium Cæsaris non agnovit Paulus contra vel supra se, sed contra & supra Præsidentem Ethnicum, à cuius gravamine non poterat ad alium, quam Cæsarem, illius Superiorem, appellare. Quòd si Principes Ethnici Potestatem quandam in Apostolos fuissent usi, aut isti se subjecissent, fecissent id de facto, non de jure: quemadmodum Christus Dominus, dum apud *Matthæum 17. §. ult.* didrachma pro se & Petro solvit, non solvit de jure, sed de facto, ut scandalum evitaret.

Urges cum Barclaiò: D. Gregorius Ma- 191 gnus in *epistola 61. lib. 2.* ad Mauritium Imperato-

ratorum exarata, vocat *se famulum indignum Imperatoris, & fateatur, Imperatori Cæsarem datum esse Potestatem super omnes homines.* Additque in fine: *utrobique ergo, qua debui existeri, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro DEO, quod*

192 *sensu, minime tacui.* Et ne dictum Gregorii referatur in causam humilitatis, citas S. Augustinum serm. 29. de Verb. Apustol. dicentem: *cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaretur.*

193 Resp. D. Gregorium in Pontificem tam Magnam non alia ex causa evasisse, quam ex nimia sui ipsius demissione: proindeque se famulum Imperatoris non aliò, quam humilitatis motivò, subscripsisse; sicut non aliò ex motivo se *servum servorum DEI* primus scripsisse.

194 fertur, laudabili successorum exemplo. Potestatem Imperatori super omnes homines datam extollere potuit in sensu accomodo, nempe per omnes homines intelligendò universos, qui erant in & sub Imperio Romano; veluti locutus est sacer Historiographus Lucas cap. 2. §. 1. *exiit à Cæsare edictum, ut describeretur universus orbis, videlicet Romanus.* Obedientiam præstare potuit, vel ut Vassallus Imperatoris quoad aliqua bona; vel de facto non de jure, necessitate temporum, ad evitanda graviora mala, sic impellente; prout inclausit ex illius commentario in *psalm. 101.* ubi de Mauritio Imperatore, in *tantum*, inquit, *sua temeritatis extendit vesaniam, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicaret, & in Dominam gentium terrena jus potestatis usurperet.*

196 Num ergo S. Gregorius ex causa humilitatis fuerit mentitus? Barclaius sine mendacio respondeat, & cogitet, nihil in Orbe nunc frequentius esse, quam in loquendi scribendique more se contestari famulum aut servum, utique non subditum semper alienæ Potestati, sed alterius utilitati vel obsequiis intentum.

197 Argumentum tertium Barclaius in cap. 6. & multis seqq. ex eo desumit, quòd neque ulius, neque exemplum, neque mentio ulla talis Pontificiæ Potestatis annis circiter mille in Ecclesia fuerit: cum multi interea Principes Christiani impiè, crudeliter, perversè, & magnò Ecclesiæ detrimentò, Regnis atque Imperiis abuterentur: ex quo durius alterum consequi necesse est, aut illorum scilicet temporum Pontifices officio suo defuisse, aut sequentium temporum Pontifices maiori cum Potestate & Imperio Ecclesiæ prædesse, & etiamnum præsidere, quòd hi temporalem illam Potestatem apertè sibi vindicarent, eamque in Reges ac Principes exercere pro arbitrio conati sint; illi verò jus tale ad se pertinere neque dictis neque factis unquam agnovissent.

198 Falsitatem hujus argumenti copiosè monstrat Bellarm. in cap. 4. §. 6. Suppetunt enim exempla non pauca Romanorum Pontificum, qui jam sexto & sequentibus Ecclesiæ sæculis Potestatem indirectam in Reges &

Principes exercuerunt. Nempè Gregorius I. privilegio, quod Monasterio S. Medardi concessit, inseruit hanc clausulam: *si quis autem Regum, Aristinum, Judicum, vel quorumcumque secularium personarum, hujus Apostolicæ auctoritatis, & nostra præceptionis Decreta violaverit &c. honore suo privetur &c.* Ita legitur in lib. 2. Epistolatum Greg. post epistolam 31. Vid. Bellarm. cap. 40. & Sfondrat. d. l. 1. §. 15. n. 3. Gregorius II. Imperatorem Leonem Isauri- 199 cum, velut hæreticum, vestigalibus Italiæ privavit. Ita restatur Zonaras, Cedrenus, & alii apud Bellarm. d. cap. 4. pag. m. 76. & cap. 41. per 101. Zacharias Childericum à 200 Regno dejecit, & Pipinum ad solium evexit. Ita perhibent antiquissimi Fraacorum annales, & quam plures Historici, quorum familia refert Bellarm. cap. 47. & Sfondrat. d. §. n. 1. Leo III. Imperium Romanum à Graecis ad Francos in personam Caroli Magni transtulit. Ita narratur in cap. venerabilem 34. de 201 Elect. & probatur in seq. cap. 3. Gregorius 202 IV. decretum Francorum, quòd Ludovico Pio Imperium erat ablatum, autoritate sua revocavit, & Imperium Ludovico restituit. Ita enuntiant Marian. Scotus, & Paulus 203 Amilius apud Bellarminum d. cap. 4. pag. 77. Plura exempla dabit Sfondrat. d. §. 15.

Quòd porrò Summi Pontifices Jurisdicção- 203 ne temporali non semper fuerint usi, sed toleraverint Imperatores ac Principes, in Ecclesiæ perniciem grassantes, non nostrum est disquirere, sed Ecclesiæ iudicio oportet relinquere: vel enim non potuerunt Summi Pontifices gladium temporale fringere, militibus, armis, aut robore destituti; vel non voluerunt, ratione temporis aut circumstantiarum gladii temporalis usum dissuadente.

Equidem hæc despondione non contentus 204 Barclaius, causam referendat aliam in cap. 7. & seqq. cur Ecclesia Constantinum Hæreticum & Julianum Apostatam Imperatores non deposuerit? Cur Valentinianum juniorem Arianum non exauthoraverit? Cùm tamen nec vires nec media defecerint, tam injuriosos Ecclesiæ hostes prosternendi. Verum si 205 Barclaius Ecclesiæ iudicio sensum & sententiam suam submittere nolit, Bellarminus in cap. 7. & 8. ipsum instruet, & quòd illorum temporum ratio Jurisdicçãois ejusmodi supremum actum impediaverit, edocebit.

Ex argumentis cæteris, quæ vel Barclaius 206 hinc inde scabiosis paginis inspergit, aut illius aescle comminiscuntur, quatuor duntaxat attingo. Dicunt enim I. Potestatem Regiam, cùm à DEO sit, à Pontifice nec dari, nec adimi posse. II. Potestatem Regiam se non extendere ad spiritualia; sicque nec Potestatem Ecclesiasticam ad temporalia se extendere. III. à Christo, cuius Vicarius est Pontifex, Jurisdicçãoem circa temporalia exercitum non fuisse in Augustum, Herodem, aliosve Reges. IV. Bonù Ecclesiæ nõ potestatem Principes, seu Advocati & defensores Ecclesiæ, offendantur, atq; ad vindictam contra Ecclesiā excitentur.

- 207 Resp. ad I. Potestatem Regiam ita à DEO populis, & ab his Principibus esse concessam, ut continuam subordinationem habeat ad Potestatem Ecclesiasticam, à qua, si deficiat, ac deviet à semita salutis, reduci, & reformari debet.
- 208 Resp. ad II. spirituales Potestatem non esse subordinatam temporali, veluti temporalis est spirituali subordinata: non enim spiritualia propter temporalia, sed hæc propter illa sunt condita: ideòque mirum non esse, quòd Potestas spiritualis catenus temporalem possit constringere, quatenus hæc impedimento est, quò minus illa suum finem assequatur.
- 209 Resp. ad III. licet à Christo nunquam exercita fuisset Jurisdictio circa temporalia (cujus tamen oppositum patet ex Math. cap. 8. cap. 21. & Joann. cap. 8.) nihilominus exinde non concludit, neque à Vicario Christi exerceri posse: quandoquidem Divinæ Providentiæ placuit, Ecclesiam suam supernaturalibus mediis primitus ædificare, jamque ædificatam viribus etiam & causis naturalibus conservare.

Resp. ad IV. Principes quidem offendi, si 10 admonentur; & multò magis, si expertes reddantur sui officii; at tamen, sicut sanitas excusat vulnus, quòd ægro indignanti secans infert Medicus, ita & offensa Principum Ecclesiæ salute excusari, ut quæ non minus quàm animam ægro Republicæ corpore, ac hæresis vel peccatorum illuvie corruptò, sana & incolumis respirare non potest.

Et licet ipsa Ecclesiæ salus nonnunquam di- 211 scrimen subierit ex usu Jurisdictionis in causis temporalibus: hoc tamen non ipsi Jurisdictioni, quantum est ex se, sed eventui sinistro adscribendum est, non aliter, ac bellum, quòd, licet susceptum, per sæpe belligeranti nocuit, non ex natura sua, sed ex accidenti. De 212 reliquo non pauca suppetunt historię, quæ usum hujus Jurisdictionis salutarem fuisse, memoriæ produnt; eritque ut plurimum salutaris, si circumspicite, prudenter, delibere, ac non nisi in casu extremæ necessitatis adhibeatur. Revolve Sfondratum d. lib. 1. §. 18. & 19. & dicta superius in num. 199. & seqq.

SECTIO IV.

De Loco, Ministris, & Effectu Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ.

SUMMARI A.

213. Summi Pontificis ab initio ferè Jurisdictionem Ecclesiasticam exercebant. 214. Postea Coadjutores assumperunt. 215. Prasertim Cardinalis. 216. Minister principalis est Cardinalis Superintendens. 217. & seq. Datararius vel Pro-Datararius. 219. Vice-Cancellarius. 220. & seqq. Penitentiararius. 224. Auditor Camera. 225. Auditores Rota. 226. Jurisdictionis Ecclesiasticæ exercetur Roma. 227. & seqq. In Congregatione Consistoriali. 231. Sancti Officii. 232. Sancti Concilii Tridentini.

Interpret. 233. & seq. Super negotiis Episcoporum & Regularium. 235. Jurisdictionis & Immunitatis. 236. & seq. Rituum. 238. & seq. Indici librorum. 240. Examinis Episcoporum. 241. In signatura gratiæ. 242. Et justitiæ. 243. In Rota. 244. & seqq. Recensentur effectus summæ Jurisdictionis. 248. & seqq. Explicatur, quid sit loqui ex Cathedra. 253. & seqq. Tollitur instantia. 255. & seqq. Opponentur & solvuntur varii tex- 211.

§. I.

De Ministris, per quos Summa Jurisdictionis Ecclesiasticæ exercetur.

- 213 Primis Ecclesiæ Catholicæ temporibus, quando numerus fidelium erat exiguus, Ethnorum persecutio in Christianos continuo deserviebat, ac non alius S. Pontificibus locus aut tribunal, quàm criptæ & speluncæ, suppetebat, quævis ferè negotia, causasque spirituales & Ecclesiasticas per se ipsos expedierunt; habitò subinde cum Episcopis consilio, missisque epistolis, ad decidenda, si quæ dubia proponebantur à fidelibus, extra urbem viventibus. Card. de Luca in Relat. Cur. 214 Rom. disc. 4. n. 1. Succrescente fidelium coetu, præter alios Clericos in adiutorium fuerunt assumpti Cardinales, tanquàm Consilarii & Ministri Papæ, per quos Jurisdictionis Ecclesiasticæ tam in urbe quàm extra administrari 215 cepit. Idem Card. d. l. n. 2. Adhuc magis florente, ac post baptismum Constantini Magni maximis incrementis auctà Ecclesia,

Ministri Papales & multitudine, & autoritate præeminuere. Atque ut nihil memorem de temporibus antiquioribus hodie I. Cardinales faciunt & constituunt Senatorem Consistorium Papæ, sedent in Congregationibus, eorumque consilio majoris momenti causæ discutuntur; ut in §. seq. videbimus.

II. Solet Pontifex deputare Cardinalem su- 216 perintendentem, veluti suorum Ministrorum Principem; qui quidem Jurisdictionis & Potestatis principaliter exercet quoad negotia politica in statu Ecclesiastico locisque, temporaliter Papæ subiectis; nihilominus aliæ quoque causæ ex omnibus mundi partibus, non tantum ab Episcopis, Metropolitanis, & Legatis Sedis Apostolicæ, sed etiam à Regibus, Princepsibus, & eorum Legatis ad ipsum referuntur. Card. de Luca in Relat. Cur. disc. 6. num. 7.

III. Ha-

- 217 III. Habet S. Pontifex Datarium aut Prodatarium, per quem in sua Dataria seu tribunali expeditionis, gratias, actus concessas, declarat & exequitur; qui proinde oraculum mentis Pontificis, cuius dicto scriptoque standum 218 est, appellatur. Dicitur autem Datararius, qui ex ordine Prælatorum; Pro-Datararius verò nominatur, qui ex Collegio Cardinalium ad istud munus assumitur. Card. de Luca cit. l. disc. 9. n. 18. & seqq. P. Plettenberg in Notitia Congregat. & Tribunal. Cur. Rom. cap. 9. num. 2. & seqq.
- 219 IV. Cancellariæ suæ præficit S. Pontifex Cardinalem Vice-Cancellarium, cujus autoritate omnia dirigitur juxta regulas Cancellariæ, executioni dantur decreta consistorialia, signantur Bullæ (si per breve sub annulo piscatoris non emanent) &, quidquid de illorum expeditione controversum occurrit, deciditur. Card. de Luca cit. l. disc. 10. per tot. Plettenberg d. l. cap. 10. §. 1.
- 220 V. Constituit S. Pontifex Cardinalem Penitentiarium, qui in foro interno vel Sacramentali potissimum exercet potestatem clavium, ac per se suosque substitutos absolvit 221 penitentes, & penitentias dicit. Concedit insuper dispensationes in irregularitatibus occultis, & revalidatione Matrimonii, cum im-

pedimento occulto contracti; dilatat & commutat vota simplicia; rehabilitat ad beneficia & dignitates. Quandoque tamen in 222 dultæ per Penitentiarium gratia tantum proficiunt in foro conscientie, subjunctà clausulâ in foro conscientie tantum; quandò verò profunt in utroque foro. Illud maxime 223 contingit apud personas Sæculares, in quarum favorem dispensatio solum in casibus occultis indulgetur; hoc frequentius accidit apud Regulares, quibuscum etiam in casibus publicis & in utroque foro dispensatur. Vid. Card. de Luca Relat. Cur. disc. 12. Plettenberg cit. tr. cap. 5. §. 1.

VI. à sua Sanctitate designatur Auditor 224 Camera, ad quem, ceu Judicem ordinarium, in causis Ecclesiasticis appellatur ex toto terrarum orbe; quive non tantum amplissimâ Jurisdictione civili-canonica, sed etiam criminali est instructus. Plettenberg cit. l. cap. 14. §. 3.

VII. Sunt Auditores Rotæ, qui causas, in 225 universo mundo inter Christianos & fideles controversas, per modum Judicum delegatorum suscipiunt & terminant. Card. de Luca in Relat. Cur. disc. 32. n. 3. & seqq. Plettenberg d. l. cap. 11. num. 1. De Ministris aliis constabit ex §. seq.

§. II.

De Loco, in quo Summa Jurisdictionis Ecclesiasticæ exercetur.

- 226 Quamquam nullus sit in orbe Christiano locus, in quo Summa Jurisdictionis Ecclesiasticæ suum vigorem non exerat; at tamen quoad formam & modum procedendi locus competens est Roma, ibidemque erectæ Congregationes, Tribunalia, Judicia, & Dicasteria.
- 227 Ex Congregationibus eminet illa, quæ Consistorialis seu Consistorium dicitur; atque in Palatio Apostolico, in præsentia omnium Cardinalium, præsideat Summo Pontifici, celebratur. Proponuntur hic juxta 228 modernum stylum non aliæ causæ, quàm non-contentiosæ, & gratiosæ; nominatim agitur ibidem de creatione novorum Cardinalium; de provisione Dignitatum majorum, Patriarchatum, Archi-Episcopatum, Episcopatum, & quandoque Regularium Abbatiarum; de missione Legatorum ad aulas Principum; de erectione novarum Ecclesiarum, Cathedralium aut Metropolitanarum &c.
- 229 Quodsi controversia vel oppositio in una vel altera causa emergat, antequàm in pleno Consistorio terminetur, particularis quædam Congregatio, cum deputatione quorundam Cardinalium & aliorum Prælatorum, propriè Consistorialis appellata, à Pontifice indicitur. Card. de Luca in Relat. Cur. disc. 5. num. 15. & seqq.
- 230 Post Congregationem Consistorialem I. est Congregatio S. Officii seu universalis Inquisitionis, consistens in copioso Cardinalium, aliorum Prælatorum, quin & Religiosorum numero;

ac eum in finem instituta, ut in hæreticos, apostatas, maleficos, sacrilegos, prædicores aut defensores scandalosorum propositionum inquirat, ac ulteriorem processum continuet. Plettenberg in Notit. Congregat. cap. 17. §. 3.

II. est Congregatio Cardinalium. S. Concilii 231 Tridentini Interpretum: ne enim cullibet fas esset, commentarios aut glossas ad idem Concilium edere, specialitè erecta fuit Congregatio, à qua, quidquid ambiguum est circa intellectum Concilii, vel materiarum, inde pendendum, declaratur; eaque declaratio, sin forma 232 authentica possit exhiberi, cum subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, vim Legis obtinet. Card. de Luca disc. 15. à n. 6. Plettenberg cap. 18. §. 1. n. 4. & seqq. & §. 2. num. 4. & seqq.

III. est Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium præposita: quando enim oriuntur controversiæ inter Episcopos, aliosve Prælatos, Officialis aut subditos ex una; & Regulares ex altera parte, hiq; se gravatos ab illis conqueruntur, ad hanc Sacram Congregationem, quæ componitur ex 24 Cardinalibus & uno Prælo Secretario, recurritur, ac sine strepitu & forma judiciali, solâ veritate facti inspectâ, ac informatione secreta & extrajudiciali petità, controversiæ definiuntur. Controversiæ verò, quæ con- 234 cernunt ipsosmet Regulares inter se, à propriis Judicibus sunt terminandæ; nisi subditus aliquis à Superiore se gravatum sentiat, à quo non potest ulterius appellari. Card. de Luca disc.